

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm  
Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei  
mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda,  
tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones  
humanas iuxta ...

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

VI. An obiecta Fidei creuerint sucessu temporis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38954**

cationem: sunt autem tria præ cæteris in Ecclesia receperunt: primum est illud, quod in i. Concilio Niceno aduersus hæresim Arij editum fuit; in quo ea, quæ ad diuinitatem filij spectant (quam impiè negabat Arius) fusiū exp̄nuntur.

Secundum symbolum editum fuit in Concilio Constantinop. i. contra Macedonium hæreticum, qui diuinitatem Sancti Spiritus impugnabat: in quo proinde, quod ad ipsius Spiritus Sancti diuinitatem spectant, fusiū explicantur: Et illud idem est, quo Ecclesia Romana in Misericordia sacrificio utitur; uno tantum verbo aduersus errorem Græcorum addito, quo profitetur Ecclesia Spiritum Sanctum non tantum a Patre, sed etiam a Filio procedere. Cui symbolo etiam ipsi Græci cum corum Patriarcha in Concilio Florentino subscripserunt.

Tertium denique symbolum est S. Athanasij, quod p̄ se, cū Arrianis persequentibus Roma profugus esse composuit, & Iulio summo pontifici obtulit; illi tanquam Christi vicario fideli sua rationem reddens: quod postea vniuersa Ecclesia in tanta veneratione habuit, ut vndeque terrarum (sicut docet Baronius ad ann. Christi 340.) varijs idiomatibus versum fuerit; & pro legitima fidei professione suscepimus.

## SECTIO VI.

*An obiecta fidei creuerint successu temporis.*

**S**ensus questionis est, an plures veritates tanquam Deo reuelatae, uno tempore credenda fuerint quam illo; v. g. tempore legis gratia, quam legis Mosaicæ; item his posterioribus seculis post tot Conciliorum in materia Fidei definitiones, quam primis Ecclesia temporibus, in quibus nulla vel paucissima Concilia habita fuerant: pro cuius resolutione.

Dicendum i. eamdem fuisse prorsus fidem, et si non qualiter explicitam, in sanctis Patriarchis ante Christum

quæ postea fuit in Apostolis, & alijs Christianis post eius aduentum. Probatur 1. ex S. Paulo epist. 2. ad Cor. c. 4. vbi, postquam locutus est de Fide antiquorum Patriarcharum, hæc verba subiicit: *Habentes autem eundem spiritum fideli credimus; propter quod & loquimur.*

Probatur 2. ex sanctis Patribus: S. Epiphanio lib. 1. cont. Hæreses initio ipsius libri, vbi loquens de Fide Patriarcharum, illa, inquit, *eadem obtinebat, que hodie in sancta & Catholicæ Dei Ecclesia perseverat Fides.* Et S. August. lib. 18. de Civit. Dei c. 47. *Vnus, inquit, Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus in carne venturus, sic antiquis Sanctis pranunciabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est; ut una eademque fides per ipsum omnes predestinatos perducat ad Deum.*

Dicendum 2. nec Concilia, nec summos Pontifices, cùm aliquam veritatem ad fidem pertinere definierunt, condidisse nouos fidei Articulos; sed illas veritates iam diuinatus reuelatas, quæ non ita perspectæ ac cognitæ fideliibus erant, vel quæ hæresibus obscuratae videbantur; sive luci reddidisse, ac fideliibus credendas proposuisse. Probatur 1. ex Apostolo epist. 1. ad Timoth. c. 6. *O Timothee, depositum custodi.* Quæ apostoli verba explicans Vincentius Lirinensis lib. 1. adu. hærel. c. 27. *Quid est, inquit, depositum, quod tibi creditum est, non quod à te inventum? quod accepti, non quod excogiti? rem non ingenij, sed doctrinae; non usurpationis priuatae, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te probatam; in qua non author debes esse, sed custos; non insitutor, sed scellator; non ducens, sed sequens.*

Probatur 2. ex praxi totius Ecclesiæ, etiam in Concilijs Oecumenicis, in quibus, quando aliqua difficultas in materia Fidei soluenda erat, diligens semper scripturarum & Conciliorum ac sanctorum Patrum inquisitio fiebat: vnde S. Basilii (vt refertur lib. 7. historia tripartita cap. 56.) dicebat Episcopos non esse inventores alicuius doctrinæ, sed tantum custodes depositi sibi per Apostolos commissi.

B

CA.